



Handwritten text on the spine, including the number '52' and some illegible characters.

52



102

14

GUBERNATIO-  
NIS DIVINÆ  
MOTIONEM,

EX HAGG. II. 7.

Declaratam

PRÆSIDE

PATRONO Suo Incomparabili

ac BENIGNO EVERGETA,

DOMINO

JOHANNNE

DELUSSCHMIDT/

DOCTORE THEOLOGO

AC PROFESSORE PUBLICO,

AD D. XXV. MAJI A. R. S. c13 l3c XXCIIIX.

P. P.

M. JOHANNES Dünnehaupt/

Qvedlimb. Sax. P. L. C. & Alumn. Electoralis.



WITTENBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.



GUBERNATIO

NIS DIVINE

MOTIONEM

EX HAC

DECLARATIONE

PRÆSIDE

PATRONO SUO INCOMPARABILI

AC BENIGNO EVERGETÆ

DOMINO

JOHANNI

SEMPER

DOCTORE THEOLOGO

AC PROFESSORE PUBLICO

AD D. XXV. MAII A. R. S. 1717

P. P.

M. JOHANNES

Quedlinb. Sax. P. L. C. & Alum. Electoralis

WITTEBERGÆ

WITTEBERGÆ

LACTIS JOHANNIS WILCKII



IN NOMINE JESU!  
DISPUTATIO THEOLOGICÆ BIBLICÆ,  
**DE GUBERNATIONIS DIVI-**  
**NÆ MOTIONE, Ex HAGG. II, 7.**

Textus Hebræus:

כֹּה אָמַר יְהוָה צְבָאוֹת עוֹר אֶחָד טַעַם הִיָּא וְאֲנִי מְרַעִישׁ  
אֶת הַשָּׁמַיִם וְאֶת הָאָרֶץ וְאֶת הַיָּם וְאֶת הַחֲרֹבָה

Latinus Vulgatus: *Hæc dicit Dominus Exercituum: Ad-*  
*buc unum modicum est, & Ego commovebo cælum, & ter-*  
*ram, & mare, & aridam.* B. Lutheri Versio:

So spricht der Herr Zebaoth: Es ist noch ein  
kleines dahin/das Ich Hûmel/und Erden/das Meer/  
und Trocken bewegen werde.

I.

**P**ost Divinam Directionem sequitur Motio divina, (1) quia directio magis est actus formalis, quam finalis. Motio vero spectat ad finem suo modo Gubernationis, Directio vero refertur ad formam. (2) quia Directio magis est actus presidens, motio magis est actus efficiens, & commovens. (3) quia Directio fit per motionem, adeoque Directio sic à motione formaliter omni jure distinguitur. (4) quia Directio dicitur esse Gubernantis, sed motio jam est operantis: notum autem, quod vulgo distingvatur, inter Inspectorem, Dispensatorem, vel Dispositorem, Gubernatorem & Directorem, & inter Motorem, vel primum operatorem. (5) quia Directio mediatas est actus, sed motio potius immediate causam secundam movet, & ad operandum commovet. (6) quia Directio tantum Dirigentis, sed motio dicitur Efficientis, & quidem prime Cause. (7) quia Directio magis est externa, motio vero suo modo fit interna. (8) quia Directio dicitur Superioris, sed motio jam est in actione concurrentis, & opus incipientis, vel promoventis.

2. Hæc Motio extra dubium est & actio Gubernationis, &

A

actio

DE GUBERNATIONIS DIVINÆ MOTIONE,

actio Provisionis Divinae, (1) quia juxta Paulum, Act. XVII. 28. in Deo vivimus, movemur & sumus. Ubi motio medium obtinet locum, & ordine retrograde, sicut superius Disp. de Provid. demonstratum, respicit rō Esse, quod ordine natura primum, sed hic ordine doctrinae fit ultimum, dum ordine doctrinae quoad Apostolicū textum, conspicitur ultimum: sed à posteriori respicit primo loco positū, ipsum vid. vivere, quod operationes respicit, sicut in moveri refertur ad affectiones. (2) quia Deus passim in scripturis tum de motione, tum de commotione verba facit, quæ verum actum divinae providentiae, vel Gubernationis concernunt. (3) quia sine Dei motione creatura quælibet simpliciter quiesceret, & nihil prorsus efficeret. (4) quia si causa prima secundam non moveret, nec citra motionem illius quicquam hæc agere posset.

3. Præterea facile patet, quod hoc præcipue loco de Motione primæ Cause sit agendum, (1) quia sequitur divinam providentiam, tanquam totum. (2) quia præsupponit sustentationem & conservationem, cum non sustentari, nec conservari, nulla sit motio. (3) quia commodissime refertur hæc Motio Divini Numinis ad Gubernationem eamq; non dicit totam, sed tantum aliquem ejus actum specialem. (4) quia motio talis prærequiritur Inspectionem, cum Ignoti nulla prorsus directa sit motio; tum ipsam Dispositionem, dum hæc respectum ad totum involvit, suumq; per Dispositionem ordinem accipit, ac in ordine suo convenienti motionem suscipit, & ad operationes suas procedit, Nam quæ creatura nusquam est, illa nec in ordine suo debito moveri potest: tum deniq; Directionem, cum illa certis respectibus præsupponatur, hæc motio sequatur, prout ibi probatum. (5) quia motio præcedit & operationem, cum absq; motione nulla prorsus in creaturis operatio fieri possit, imò per motionem operatio fieri dicitur: & ordinationem, quia si motio, vel operatio, non fiat, nec ad fines suos ordinari potest.

4. Ordine convenienti jam inquisito, vel etiam constituto, jam ad ipsum Tractationis Objectum, vid. Divinae Gubernationis motionem, respicimus, & devotas vel religiosas meditationes, quoad

EX HAGG II, 7.  
quoad eandem suscipimus, sed ante omnia *fundamentum* aliquod  
Biblicum requirimus, illudq; tanquam *future commentationis*  
Officinam, supponimus. *Oraculum* autem *Propheticum* eligimus  
ex Hagg. II. 7. & ad illud *Explicationes* nostras *Biblicas* de hac  
*Divina Motione* dirigimus.

5. Facile quidem largimur, quod hoc *Oraculum*, quoad *sen-*  
*suum immediatum, formalem, literalem*, non loquatur de *Motione*,  
vel *commotione generali*, sed de *singulari*, non de *Mundana*, sed  
de *Messiana*, non de *ordinaria*, sed de *extremordinaria*, non de *na-*  
*turali*, sed de *supernaturali*, non de *continua*, vel *perpetua*, sed de  
*temporaria*, *semelq; tantum facta*, non de *Catholica*, sed potissi-  
mum *topica*, non de *Motione Regni potentie*, sed *regni Gratia*, non  
*ratione mundi*, sed *ratione regni Christi*, &c. quemadmodum  
ipsa verba, totusq; contextus, id luculenter edocent, & in-  
victè variis argumentis non modo *suadent*, sed etiam soli-  
dis documentis fortiter *urgent*: interim quia *specialia*, vel *singu-*  
*laria* respiciunt *generalia*, *Gratia regnum* etiam *presupponit po-*  
*tentia regnum*, &c. non inconueniens erit, quoad *mediatum sen-*  
*suum*, etiam ex his verbis *DEI generalem Motionem* ex iis demon-  
strare, vel juxta verborum tenorem *conuenienter explicare*.

6. Quod autem in hoc *Oraculo* nostro non agatur *imme-*  
*diatè de Motione generali Regni potentie*, sed de *singulari Regni*  
*Gratia* *ratione Messis*, illud breviter probabimus, (1) *quia est pro-*  
*phetia*, non autem *natura*, vel *rationis materia*; præterea *prophe-*  
*tia* maxime *specialis* est, de *templi secundi gloria*, de *Messia pre-*  
*sentia*, de *miraculorum per tempora Messia copia*, &c. hinc in bre-  
uissimis verbis præcedentibus hujus capituli non solum *formula*  
*solemnis*, *Factum est Verbum Domini in manu Haggæi*, sed etiam *his*  
*dicat Dominus*, & *binæ vice pariter*, *Hæc dicit Dominus Exerci-*  
*tuum*, præmittitur. (2) *quia de Mysteriis meris* *Propheta* *vaticina-*  
*tur*, in primis de *Mysteriis duobus cardinalibus*, *Mysterio* *vid. Tri-*  
*nitatis*, & *Incarnationis*, de *Triadosophia*, & *Christologia*: prius *B.*  
*Dn. D. Calovig* ad h. l. in *Bibl. Illustratis*, septem rationib; demon-  
strat, (1) quod *præterea* exprimantur omnes personæ, *Pater* lo-  
quens, *Verbum* ejus, & *Spiritus* ejus, (2) quod *Filius Dei Verbum*  
dicat.

DE GUBERNATIONIS DIVINÆ MOTIONE,

dicatur in V. T. ut è collatione, II. Sam. VII. 20. propter Verbum tuum, & I. Chron. XIX. 19. propter Servum tuum, colligitur: & imprimis id è Ps. XXXIII. 6. manifestum est. (3) quod præsentia, & assistentia Patris, Filii, & Spiritus S. imprimis erigi poterint, & debuerint templi structores. Quæ enim lætior promissio, quæ major magnificentia esse potest in mundo, illa promissione, & magnificentia Ecclesiæ, quod Deus Pater, in Filio Redemptore, per Spiritum suum, ipsi adesse velit, & adsit? Ego Pater, uti & Sa. Dec. 3. Coccejus, vobiscum sum, qui vos olim abdicavi, tanquam non populum meum, & ero circa vos murus igneus. Mecum Filius est, Sponsor, & Advocatus vester. Angelus Fœderis est vobiscum, neq; recedet à Domo sua, antequam se victimam obtulerit. Spiritus meus est in medio vestri, neq; recedet à vobis, quin conservet legislatores, & Doctores, sedentes in Cathedra Moysi, donec secundum promissionem meam in filios vestros effundatur. (4) Hic in memoriam revocatur ipsis promissio fœderalis, vel testamentaria Verbi, vel Messia, cum verbo, quod promisi vobis. Hæc enim simplicissima est phraseos illius translatio. Quæ promissio fundamentum est omnis gratia & benedictionis. Qui reddunt cum Verbo, IN QVO PEPIGI, Ellipsin præpositionis  $\Delta$ , præter rem statuunt, ne dicam cum Coccejo, quod insolens sit, ut legatur  $\Delta$   $\Delta$ ; alii Ellipsin ita suppleant: Verbum, quod vobiscum pepigi, scil. ratum faciam; sed Ellipsin fingere opus non est, si nostra explicatio adhibeatur. (5) Consonabit ita Haggæus  $\Delta$   $\Delta$ , & Collegæ suo, Zacharia, qui  $\Delta$  Dei aperte aliquoties promittit in Templo secundo, & Angelum Dominum, qui hic vocatur Verbum, clarissime describit. Et cum Malachia, qui Angelum Fœderis & Dominum Templi  $\Delta$   $\Delta$  promittit. c. III. 2. (6) promissi Verbi adventum hic spondet versu seq. 8. Propheta noster, Veniet Desiderium omnium gentium. (7) Sic exposuit Hieronymus: Ego sum vobiscum, & Spiritus meus, & Verbum, in quo posui Testamentum; agnoscens exhiberi hic Mysterium S. S. Trinitatis. Satis disertum testimonium de hoc Mysterio hic ponit B. Tarnovius in h. l. B. Himmelius, et si ad fœdus, quod Jehova cum populo pepigerat, Exod. XX. referat, & orationem ellipticâ statuatur cum aliis, ex propria tamen sententia adjicit: Imprimis sibi videri, respici ad promissionem,

popu.



EX HAGG. II, 7.

populo factam de Propheta Magno Deut. XLIX de Christo, qui hic  
 vocetur Verbum. Corn. à Lapid. laudat etiam in hanc sententi-  
 am Aethan. Epist. ad Semp. Gregor. Nyssen. testim. contra Ju-  
 dzos, Cyrill. Hieros. Cot. XIX. Theodoret. Remigium Albertum  
 M. Haymonem, imo etiam Targum. Favet Chaldaeus, dum ver-  
 tit, Verbum meum erit vobis auxilio, Christoph. à Castro notat  
 LXX. Vulgatum, Chaldaicum, Tigurinos & Pagninum, Verbum  
 exponere, quasi sit suppositum, & cum sequenti Verbo conjun-  
 gere, Verbum, & Spiritus meus, erit in medio Vestri, si qui-  
 dem constat, articulum NON jungi quoque recto, ut II. Reg. VI. &  
 NON Ferrum cecidit in aquam &c. *Mysterium Incarnationis* etiam  
 luculentissimis verbis introducit, (a) quoad *Typum*, nim. per  
 JESUM, & *Summum sacerdotem*; (b) quoad *Spiritus incolatum*,  
 quod *Spiritus sit in medio Fidelium*, quod tantum sit ob *Mediato-*  
*ris meritum* Job. XVI. 8 (c) quoad *timoris remedium*, Nolite time-  
 re, quod in Messia tantummodo fundatur; (d) quoad *commoti-*  
*onis proprium*, quia *commotio cali & terra* facta per miracula, si-  
 cut B. Winckelm. ad h. l. scribit: *Sub adventum Messiae commotum*  
*est calum*, (a) quando ipse Filius Dei de Caelo descendit, assumens  
 carnem nostram in utero B. Virginis, atque ita a caelos ad terram quasi  
 inclinavit; (b) *Celum motum est*, quando in nativitate Christi cele-  
 stes Spiritus Angeli, de caelo descendentes, congratulati sunt generi  
 humano de nato Salvatore, & cecinerunt, Gloria in excelsis Deo. &c.  
 & deinde semper descendunt super Filium hominis Job. 1. (y) quia  
 tum janua cali, propter peccatum clausa, nobis aperta est per  
 Christum. (d) Quando stella illa nova apparuit, qua Magi orienta-  
 les moti venerunt ad adorandum novum Regem Judaeorum, Je-  
 sum, Matt. II. (e) quoad *commotionis objectum*, quod etiam di-  
 citur Terra, mare, arida: de his addit B. Winckel. *Doctrina &*  
*Miraculis Christi*, Judaea, vicina Gentes, & Insula, tandem etiam  
 totus terrarum Orbis commotus est. (f) quoad *commotionis moti-*  
*vum*, quod est *Adventus Messiae*. Veniet Desideratus cunctis gentibz.  
 (g) quoad *commotionis principium*, quod est ipse *Messias*, (h) quoad  
*commotionis beneficium*, quod est *desiderium omnium Gentium*,  
*delicia omnium gentium*. Luth. Aller Heyden Trost. Conf. Gen.  
 XLIX. 10. 18. Luc. X. 24. &c: cum ipse sit formosissimus omnium, Ps.  
 XLV. 3. vera, meretq; delicia, Prov. XIX. 36. plura nunc omittimus.

7. Quod



## DE GUBERNATIONIS DIVINÆ MOTIONE,

7. Quod autem *mediate*, vel *consequenter*, aut *materia-*  
*liter*, *Commotio generalis Dei* non excludatur, facile confirma-  
tur, (1) quia quodvis *speciale* præsupponit & includit *generale*, si-  
cut *genus* est in quavis *specie*. (2) quia totum *regnum gratie* præ-  
requirit, & non tollit *Regnum potentie*, cum in hoc & cæperit, &  
hactenus fuerit, & cum eodem desitutum sit. (3) quia *Messias*  
in mundum venit, & in eodem omne redemptionis opus peregit.  
(4) quia *commotio*, per miracula facta, creaturas non excludit,  
sed potius, tanquam *objecta*, vel etiam *subjecta* requirit. (5) quia  
pleraq; *miracula* sunt in creaturis facta. (6) quia *miracula* sunt  
*extraordinaria* *divinæ voluntatis*, *potestatis*, & *virtutis opera*,  
quæ respiciunt, & sæpius etiam afficiunt *opera Dei ordinaria*. (7)  
quia *jus hoc speciale commotionis celi, & terre*, fundatur in *jure*  
*Motionis Universalis*: si *Deus* tanquam *Autor celi & terre*, vel  
*aliarum Creaturarum*, *jus generale Motionis* in creaturas non hu-  
buisset, nec *specialiter*, nec *miraculose*, per *extraordinariam* *vir-*  
*tutem*, illas commovere vel debuisset, vel potuisset. (8) quia  
hæc omnia tribuuntur *Jehova*, vel *Jehova Zebaoth*, prout patet  
ex v. i. seqq. Hic autem revera *jure meritissimo* dicitur, & est *Mo-*  
*tor primus, Universalis*, *perpetuus* *omnium creaturarum*. (9)  
quia dantur *Interpretes* è *Judeis, & Christianis*, qui locum hunc  
de *Messia* non exponunt, sed ad *regnum potentie* suis *explica-*  
*tionibus* respiciunt, licet hoc textui sit *contrarium*: hoc tamè in-  
de colligitur, quod *commotio* vel *ordinaria*, vel *Catholica*, vel *ne-*  
*cessaria*, seu *perpetua*, ne utiqvam ab hoc textu sit penitus exclu-  
denda. Sic *R. Kimchi* hæc verba, *Veniet Desiderium omnium Gen-*  
*tium*, sic explicat: *omnes Gentes, quas commovebo è locis suis,*  
*venient cum desiderio omnium gentium, q. d. afferent manibus*  
*suis omnes res desiderabales, quas invenient in terra sua, ex vasis*  
*argenteis, aureis, vestimentis, & lapidibus preciosis.* Sic *Mun-*  
*sterus* etiam h. l. vertit: *Et commovebo omnes gentes, venientq;*  
*cum eo, quod desiderabile est, cunctis gentibus*: annotatq; po-  
stea: *In Hebræo est: Et venient desideratione cunctarum gentium,*  
*h. e. venient cum iis rebus, quæ desiderantur, & in precio sunt a-*  
*pud omnes gentes, ut sunt, aurum, argentum, & lapides pre-*  
*ciosi, muneribus suis honorantes domum meam: sicut & Esaias*  
*dixit:*

dixit: Omnes de Saba venient, aurum & Ithus deferentes, &c. q. d. singula gentes optima sua afferent, seipfos Domino consecrantes, & de suis opibus pauperes Christi, h. e. viva Dei templa ornabunt. Alii aliter.

8. Ex his igitur luculenter apparet, quod materialiter etiam ex hoc Oraculo de Motione Creatoris & Gubernatoris Universalis doctrinam convenienter exponere possimus. Notabimus igitur I. Universalis Motionis Gubernatricis Existentiam. II. Universalis Motionis Gubernatricis Essentiam. III. Universalis Motionis Gubernatricis Excellentiam.

9. Existentia Generalis & in scriptura, & in Natura, & in Experientia quotidiana, dicitur fundatissima. Quod scripturam attinet, hujus Motionis illustrissima documenta statim in Creatione reperiuntur, tum quia Deus Creator Non Ens movit in Entia vera, eaq; plurima & optima: tum quia Spiritus Sanctus incubans aquis, movit, & fovit rudem & indigestam molem, atq; sic, ordine creaturas producendo, motionem illustrem instituit; tum quia Gen. I. 26. reptilia, quae moventur in terra v. 28. animantia, quae moventur super terram, v. 30. universa, quae moventur in terra produxit, ubi passive semper de creaturis loquitur, quod moveantur, & moveri vero necessario respicit active Moventem, & summum Motorem praesupponit, in primis quia Motionem Creationis necessario sequitur motio Conservationis, & Gubernationis. Conf. Gen. VI. 8. 14. 21. c. IX. 3. & passim alibi. Sicut etiam hic Motor dat motum, ita pro liberrima voluntate sua motum etiam Creaturis adimere potest, quemadmodum legimus, Exod. X. 23. quod in tenebris Aegyptiacis Deus ita contumaces Aegyptios puniverit, ut se de loco, in quo erant, non moverint, nec movere potuerint. Ex Natura etiam liquidissimum est, nihil a seipso moveri, sicut nullum Ens creatum est a seipso. Hinc Philosoph. l. 8. Phys. de summo Motore disputans, demonstrat ejus Attribute quinque, nim. quod sic Unus, Immobilis, perpetuus, Impartibilis, Infinitus. Et in lib. de Mundo scribit: Mundus hic, & hic omnium Ordo, a Deo CONSERVATUR, Quod autem in Mundo summum, DEi sedes. Nihil porro in rerum Natura sibi ad salutem (adde quoq; MOTIONEM) sufficit, ejusq; ope carere potest. Ipse est Pater Deorum, & Ho-

DE GUBERNATIONIS DIVINÆ MOTIONE,

& Hominum Genitor, & Servator eorum omnium, è quibus Mundus conflatur. Nec tamen penetrat illa, aut ingreditur, (nim. essentialiter, & formaliter,) verum Vis & providentia illa, quæ in caelis sedet, ad omnia PERTINGIT: Cælum, & Solem, & Lunam, MOVET, terrestria hec LIBRAT, & SUSTINET. Deniq; omnia, singulaq;, quod sue nature est, CURAT, & PROVIDET. Tandem Experientia locupletissima testis, & hujus Motionis infalibilis interpretis est, cum & nosmetipsi quotidie moveamur, & innumeras creaturas ab Uno, Summoq; Motore modis admirandis, & ineffabilibus, moveri nostris oculis conspiciamus.

10. Existencia singularis, quod nim. in hoc Oraculo nostro respectus ad Motionem Universalem habeatur, partim ex superioribus, cum primis ex th 7. jam constat; partim etiam facile probatur, (1) ex Motoris hujus titulo, quia vocatur Jehova, qui Ens Entium est, hoc est, omnium Entium Autor, & Motor. (2) Ex Motoris hujus Elogio, quia vocatur Jehova Zebaoth, Exercituum: Exercitus autem ducuntur non ad quietem, sed ad motum, & ad actum, in suis ordinibus: sic etiam Exercitus Jehovæ sunt ordinatissimi, quosvis ad motus, & ad omnes expeditiones paratissimi, velocissimi actuosissimi &c: (3) Ex hujus Motoris Exercitio, quia semper est actus purus, & semper in præsentem Movens, & commovens: licet enim hic in futuro loquatur, tamen divinum & semper præsens futurum hoc est. (4) Ex Motoris hujus objecto, quia dicitur Cælum, terram, mare & aridam, & omnia, quæ sunt in eis commovere, permovere.

11. Essentiam hujus Motionis quod attinet, ea per causas declaratur, quæ ratione notamus, I. Causam Efficientem, quæ designatur per illud peculiare pronomen explicite positum, *YH*, Ego, quod sumitur non tantum *ἰσχυρισμός*, & *γεννωσ*, juxta naturam pronominum communem, sed etiam h. l. *νοηδιδωσ*, & *ἰσχυρισ*, cum solus Deus eminentissima causa sit hujus motionis Universalis. Dum autem hoc pronomen *YH* respicit sua principalia nomina dispiciendum est, ad quod hic apud Prophetam referatur, ut eo distinctius causa principalis Motionis Universalis cognoscatur, & exponatur.

11. No-

EX HAGG. II, 7.

12. Notandum igitur, quod hæc *principalis Causalitas* non tam secundum *naturam*, vel *Regnum potentia*, seu quoad *notitiam naturalem*, quam quoad *scripturam*, & *Regnum Gratia*, vel etiam quoad *notitiam revelatam*, consideretur, qua ratione refertur ad *Deum* (1) *ἰσχυρὰς*, (1) quia sæpius in hoc capite *Nomen* illud *essentiale*, vereq; magnum, allegatur, *Jehova*, circa quod *peculiares delicias* invenisse videtur *Propheta*, cum *decies & octo vicibus* illud in hoc unico capite citarit, & quidem in uno *versiculo* *vel bis*, *vel ter*. Hoc autem *Nomen Essentia* dicitur, *indicativum*. (2) quia disertis verbis *Jehova Zebaoth*, *Dominus Exercituum*, vocatur, quod illustre *Nomen*, vel *Epitheton*, itidem *novies* in hoc capite, & quidem *bis* in v. 10. & 24. repetitur, & ad omnes *creaturarum Exercitus* respectus habetur, qui certe *multi*, vel *innumerabiles Exercitus* sunt, & tamen nunquam ex *voluntate*, vel *destinatione*, sui vel *Autoris*, vel *Motoris*, otiosi, sed *indefinenter operosi*, vel *negoriosi* sunt, quia verbum ejus *semper faciunt*, nim. juxta *Gloss. Margin.* *quicquid ipse voluerit, & jussit*, sicut *David*, in *insigni Catalogo* talium *Exercituum*, *Psal. CXLIX. 8.* hoc annotavit. *Jehova Dux* omnium illorum *Exercituum* est, sicut *Dux movet*, & *ordinate ducit* suos *Exercitus*, ita *Deus gloriosus* nunquam ab hac *motione*, vel *ductione*, suorum *Exercituum*, vel omnium *creaturarum* cessat. (3) quia *tum antecedentia*, tum *ipsa verba constituentia*, tum *consequentia*, nos ad *externa ducunt opera*, quæ, juxta *communem sententiam*, *ipsam Essentiam* inferunt, atq; respiciunt.

13. (2) *ἰσχυρὰς*, quia *distincta* quodq; *personarum DEitatis* fit *mentio*, sicut probatum *rb. 6.* quoniam fit *mentio* (1) *Jehovæ*. (2) *Verbi ejus*. (3) *Spiritus ejus*, *vers. immediate precedente* 6. Sic igitur etiam hæc *Motio Gubernatrix Cæli*, & *terra*, & omnium, quæ in eis continentur, tribuitur. (a) *Jehova Patri*, qui peculiariter h. l. dicitur *Jehova Zebaoth*, & talem *commotionem* instituire perhibetur.

14. (b) *Jehova Verbo*, *Deo Filio*, qui non minus est *Jehova Exercituum*, & *Motor omnium*, dum ipse dicit: *Pateo meus usq; modo operatur, & ego operor*, *Job. V. 17.* & *Paulus* testatur,

B

statur,

DE GEBERNATIONIS DIVINÆ MOTIONE,

statuatur, quod omnia portet (& sic etiam moveat) verbo virtutis suae: hic etiam est ille, qui caelum & terram, & alia quaevis incarnatione sua commovit, & miraculis suis replevit. Ea de causa repetitio secunda verborum horum Messia, tanquam Jehovae Exercituum tribuitur, v. 21. Et factum est verbum Domini secundo (vel, quoad certam appropriationem personalem, per secundam Deitatis personam, verum Messiam,) ad Aggeum in vicesima & quarta mensis dicens: Loquere ad Zorobabel, Ducem Jude, dicens: Ego MOVEBO caelum pariter & terram: & subvertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regnorum gentium, & subvertam quadrigam, & adscensorem ejus &c: Quod enim h. l. non sit de Christo, sed de Zorobabele, quoad objectum, loquatur, hoc multis demonstravit B. D. Carolus in Bibl. Illustr. ad. h. l. cum potius Messias hic sit loquens, quam objectum locutionis. Nam quod hic rectissime verba v. 21. 22. & 23. ad Messiam referantur, illud breviter probari potest, (a) quia Spiritus S. ipse, tanquam indubitatus, & quavis exceptione major Interpretes, haec verba Christo tribuit Heb. XII. 26. quem Ducem infallibiliter sequi possumus, cum quilibet optimus verborum suorum sit interpretes. (b) quia specialiter haec verba: Ego movebo caelum & terram, Christo l. d. tribuuntur. (c) quia Messias peculiariter Goel erat Israelitarum, & ab hostibus omnibus eos vindicabat. (d) quia pro populo suo semper pugnabat, hinc etiam peculiariter, tanquam מלחמה, tanquam Vir bellator, statim post eductionem populi ex Aegypto pugnam istam inchoabat, & currus, ac milites Aegyptiorum subvertebat. Exod. XIV. 3. seqq. (e) quia sicut ibi Moses cum Israelitis de Messia cecinit v. 4. Currus Pharaonis, & exercituum ejus dejecit (vel subvertit, ut hic Prophetam loquitur) in mare; electi principes ejus submersi sunt in mari rubro, & v. 19. Ingressus est Pharaon cum curribus & equitibus ejus in mare, & reduxit super eos Dominus aquas: sic h. l. Prophetam de Persis, & aliis gentilibus persecutoribus populi, dicit, vel potius Messias per Prophetam: Ego subvertam solium regnorum, & conteram fortitudinem regnorum gentium, & subvertam quadrigam, & adscensorem ejus, & descendent equi, & adscensores ejus &c: Gloss. Margin, addit, Delebo Persarum potentiam quos,

EX HAGG. II, 7.

quos metuitis vos, quod factum est per Alexandr. Magnum. Conf. Daniel X. 20. 21. ubi Angelus, qui preliatus erat adversus Principem Persarum, gloriatur in Messia, vel Michael, Promacho Judæorum supremo, dicens: Nemo est Adjutor meus in omnibus his, nisi MICHAEL, PRINCEPS, & MESSIAS, vester. Hic locus nostro parallelus est. Conf. Apoc. XII. 7.

15. (C) Jehova Spiritui Sancto, qui per Prophetam hic etiam loquitur, & alias etiam movens est, quia (1) incubans & motitans, ratione Creaturarum, quæ dicitur emphasis מרחם וועיס, juxta Philologos, sicut scribit Hotting. in Exam. Philologico. Theol. Hist. Creat. p. 44. Verbum מרחם in contextu sacro rarius occurrit, & quidem ter tantum, h. l. Deut. XXXII. 11. & Jerem. XXIII. 9. MOTUM aliquem notari non est dubitandum. Unde Kimchius probatis exemplis colligit, omnia MOTIONEM & AGITATIONEM notare &c. & in seqq. Morinum refutat, qui contra significationem Motus in hac radice disputat: sic etiam allegat verba R. Sal. Jarobi; Thronus gloriæ stabat in aere, & MOTITABAT se in superficie aquarum Spiritu oris Dei Benedicti &c: Item Schindler. מרחם est agitavit se in מרחם, in latitudinem, sicut aquila dilatatis, & expansis alis MOVETUR & AGITATUR super pulvis suis, eos ad volandum exuscitans, & invitans &c: (2) quia Sap. VII. 22. Spiritus intelligentiæ, sanctus, Unicus, multiplex, subtilis, MOBILIS (active nim. Luther. behend / hurtig / εύκωντος &c., mobilis, agilis, &c;) incoinquinatus &c: v. 23. humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & quæ capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis: omnibus mobilibus mobilior est sapientiæ, attingit autem ubiq; propter suam munditiam &c: (3) quia Spiritus Sancti proprium est agere, vel operari, & semper omnia movere, sicut etiam movit omnes Patriarchas, & Prophetas, Evangelistas, & Apostolos, & universos Heroes &c: (4) quia, juxta Canticum Ecclesiasticum, Spiritus Sancti gratia nescit tarda molimina, sed in omnibus agilis est, & agilitatem cunctis confert. (5) quia tertia Concio prophetica, vel ultima v. 24. rectissime Spiritui S. peculiariter hic appropriatur: In die illa, dicit Dominus Exercituum, assumam te, Zorobabel, Fili Sealtebiel, serve mei, dicit Dominus: & ponam te quasi signaculum, vel annu-

B 2

latos

## DE GUBERNATIONIS DIVINÆ MOTIONE

*tum signoriorum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum: ubi plura sunt peculiaris appropriationis indicia, quæ concionem hanc ad Spiritum S. referunt, tum Zorobabelis adsumtio, quæ Spiritui tribuitur Act. II. 39. tum ejus in peculiarem Servum destinatio; tum ipsius per virtutem heroicam exornatio; tum peculiaris obsignatio, quæ Spiritui Sancto propria II. Cor. I. 22. &c:*

16. *Impulsiva causa* latet itidem in *ego* pronomine, si conferatur cum reliquis verbis, & precedentibus, atq; sequentibus, sic nulla datur alia, nisi *Dei Bonitas, Gratia, Benevolentia, Beneplacitum* &c: tum quia hæc tota prophetia est *gratia*, vel *bonitatis*; tum quia *Messiam, & regnum gratia* respicit; tum quia propter *miracula*, quæ peculiariter hic attenduntur, *singularis bonitatis* symbola notari debent: tum quia Deo hic per prophetam benevolentissimum animum significari curavit, quod multis demonstrari posset, si modo pluribus id persequi juxta textum nervosum, liceret.

17. *Ministerialis causa Motionis Gubernatricis universalis* nulla datur, nec ulla dari potest (1) quia *Dominus Exercituum* hic immediate loquitur. (2) quia hic *Jehova Zebaoth*, sibi soli talem *Motionem* tribuit. (3) quia *Deus*, tanquam *infinitum agens*, in *operationis, & motionis* suæ consortium creaturam nullam admittit: *Causa Ministerialis* autem alia, quam creatura, non potest esse. (4) quia hoc opus *commotionis cæli, & terræ, vel aliarum creaturarum omnium*, virtutem immensam exigit, qualis in creaturam cadere nequit.

18. *Nec instrumentalis Causa Motionis Universalis* dari potest (1) quia de hac pariter altum in textu silentium. (2) quia *Jehova Zebaoth* per *instrumenta* non operatur. (3) quia creaturæ singulæ sunt hujus *Motionis Objectum*, adeoq; ne utiqvam possunt esse *Motionis* hujus *medium, vel instrumentum*, cum nihil sui ipsius *medium* vel sit, vel esse possit. (4) quia *Motionis Universalis* ea conditio dicitur, ut omnem *instrumenti* rationem superet, atq; multis *parasangis* transcendat.

19. Hæc autem de *Motione* tantum *Universali* sunt intelligenda: quod enim *Deus* in *particulari* nonnullarum *Creaturarum Providentia*, quoad *Motionem* etiam, certa *Ministeria*, certaq; *media*, pro liberrima sua *voluntate* tum adhibeat, tum adhibere queat, de eo prorsus nullum est dubium. Fit hoc par-



EX HAGG. II, 7.

tim in extraordinariis, & miraculosis, partim in ordinariis, & usitatis operibus. Sic e.g. Job. V. 4. legitur, quod Angelus Domini quotannis descenderit in piscinam Bethesda, & aquam moverit: & qui prior egrotorum descenderit in piscinam, post motionem aquæ, sanus factus sit, quacumq; laboraverit infirmitate: Moses baculo suo Mare rubrum, petras, & alia commovit. Sic Deus ventis, tempestatibus, & aliis mediis naturalibus multa movere consuevit. Suis etiam Ministris in Ecclesiastico, Politico, vel alio Statu, cuncta bona movet, & admovet, mala removet, vel illa permittendo suos fines gloriosos admovet, & remedia malorum miris modis promovet, ut ad ordinem pristinum cuncta commoveantur.

20. Accedimus jam ad Motionis Universalis Materiam, quæ generaliter in Oraculo nostro producitur, & si verba versiculi sequentis immediata conjungimus, sic dicere possumus, quod Materia Motionis hujus sit, (1) Generalis, & quidem triplici respectu. (1) indefinite, sic dicit Dominus Exercituum: Ego commovebo Cælum & Terram, qui modus loquendi, juxta scripturam, & usitatissimus, & universalissimus est, cum in cælum & terram totus Mundus distribuatur; & per hæc duo nomina communiter totum Mundi systema, vel omnis Universitas rerum significetur, sicut etiam ex Symbolis Ecclesiasticis est manifestum. Patet id ex eo, quod inferunt Cælum & terra, (a) Universale Creaturarum initium Gen. I. 1. In principio creavit Elohim Cælum & terram, quod c. II. 1. clarius de cunctis creaturis, vel tota rerum Universitate declaratur. Sic completi sunt Cæli & Terra, & omnis Exercitus eorum. (b) Universale Creaturarum Dominium, sicut patet tum ex federe Cæli, & terra, Dei & omnis carnis, in Irade tempore Noachi, Gen. IX. 13, 14. seqq. ubi non semel cæli, terræq; fit mentio: tum ex confessione Melchisedeci, c. XIV. 19. tum ex adjuratione Abrahami, c. XXIV. 3. tum ex Benedictione Isaaci, Jacobo data, nomine Dei, c. XXVII. 28. tum ex divina benedictione Jacobi, c. XXIX. 12. ubi cæli, terræq; Dominus cælum & terram, Deum & Homines, mediante scala conjungit, & hoc Universale Dominium luculenter ostendit. (c) Universale creaturarum Compendium, quod per cælum & terram in scriptura, tum V. tum N. T. passim ostenditur. (d) Universale Creaturarum testimonium, dum ipse Deus, & Viri Dei, sub testimonio Cæli & terræ, cunctas Creaturas adversus ingratos homines in testes vocarunt, Deut. XXXII. 1. Esa. I. 2. &c. & alia quam plurima generalissimam hanc

## DE GUBERNATIONIS DIVINÆ MOTIONE,

*Universalitatem in Celi, Terræ, Nominibus, quoad totam rerum Universalitatem, demonstrant. (1) Definite, quia mentio fit maris & aride, quibus & Universalitas definita significatur, & præmissa Terre vox clarius explicatur, dum Globus terrenus, quatenus Celo dicitur oppositus, in mare & aridam, h. e. in terram, Specialiter ita dictam, mari contradistinctam, & terræ partes, aquis obductas, discriminatur, & sic etiam ad ipsam Creationis historiam, & Divinam Globi terreni Distinctionem, quoad opus tertii diei, Gen. I. 9. 10. respectus habetur. Sic igitur posteriora duo vocabula, vel objecta, Mare nimirum, & arida, sunt ἐξ ἑνὸς λόγου vocis immediate præcedentis Terre, quasi Jehova per Prophetam diceret: Ego commovebo celum, & terram, h. e. & mare, & aridam. (3) Specificè, quia datur etiã, sicut ex Physicis notũ, Specierum universalitas, qua ratione Jehova de specie nobilissima, vid. Homines subjungit: Et movebo omnes Gentes, id est, omnes Homines.*

20. (2) *Individualis, cum hæc universalitas non modo sit collectiva, quia Deus est Motor primus, & summus, totalis & Universalis, & tanquam Motor Universum sua ratione movet, & omnia verbũ eij faciunt, atq; perficiant, Ps. CXLIX. 7. sed etiam distributiva, ut ad Individua singula, tum superiorum & celestium, tum inferiorum & terrestrium creaturarum, se Motionis & Jus & Actus extendat, ita quidem, ut nulla creatura individualis hoc sine Motore, se movere queat, quod ex sacris prolixè deduci posset, cum nec homo vel pedem, vel manum, hoc sine Motore movere possit.*

21. *In primis autem hoc non tantum valet. (1) De Regno potentie, quo nos in præsentis Disputatione respicimus: sed etiam (2) de Regno Gratiæ, de quo noster textus immediate, quoad sensum literalem, intelligendus est, ut superius evicimus, & concessimus: & scriptura passim hanc gratiosam commotionem tum in ordinariis, tum in extraordinariis gratiæ vel operibus, vel beneficiis adducit. Conf. Ps. XLVI. 7. LXIX. 9. LXXXII. 5. XCVI. 7. &c. (3) De Regno Gloriæ, quo respicit ipse Spiritus S. in allegatione præsentis Oraculi, Heb. XII. 26.*

22. *Post Materiam aggredimur Formale Motionis, Ego Commovebo, dicit Jehova Zebaoth. Verbum שׁוּעַר, quoad hanc formam, ter in Codice Biblico reperitur, Esa. XIV. 15. & in hoc capite bina vice, nim. in Oraculo nostro, & v. 22. Si conferantur hæc suppositiones. ita (1) sumitur pro commotione externa, quoad regnum potentie, Esa. XIV. 15. ubi de bellicis commotionibus populorum, per Nabuchodonosorem factis, adhibetur. (2) h. l. pro commotione interna, quoad regnum*

gra-

EX HAGG. II. 7.

gratia, quia de Messia sermo, cujus commotiones gratiose sunt. (3) pro commotione aeterna, respectu regni gloria, v. 22. secundum respectum à Spiritu sancto demonstratum. Heb. XII. 26.

23. Alias rad.  $\Psi\Upsilon\Upsilon$  nō inconvenienter variè dicitur adhiberi: (1)  $\pi\epsilon\omega\tau\epsilon\varsigma$ , & proprie impetu, significare dicitur Movere, commovere, cū ideo à nonnullis confertur cū rad.  $\Upsilon\Upsilon\Upsilon$ , quæ significat frangere, contere, vel cum rad.  $\Delta\Upsilon\Upsilon$  tonare, intonare, insci, indignari &c. quidam exponunt commoveri per terrorem ad fugam: sed hoc nimis arctum esse dicitur, cum sæpius, & maxime de inanimatis, Cælo & terra, legatur, quando vehementiori motu concutiuntur. Hinc (2)  $\delta\iota\upsilon\tau\alpha\epsilon\omega\varsigma$  cum applicatione sumitur, partim pro commotione ira, Ps. XLIX. 4. LXIIX. 9. Judic. V. 4. &c. de commotione cali Joel. II. 10. Judic. V. 4. Terra Ps. LX. 4. LXIIX. 9. Esa. XIII. 13. Jer. V. 10. IIX. 16. LX. 16. LI. 29. Gentium Ezech. XXXI. 16. Montium Nab. I 5. Jer. IV. 24. Piscium, Volatilium, animalium reptilium in term Ezech. XXXIIX. 20. Regnorū Esa. XIV. 15. Murorum Ezech. XXIII. 10. Fundamentorum terra, Esa. XXIV. 18. Cæli & terra, Joel. III. 21 & h. l. partim ad commotionem gratiæ, quæ nonnullis in locis indicatur, & in Oraculo nostro notatur. Partim de Commotione Naturæ, quo refertur locus Ps. LXXII. 16. Erit pupillus frumenti in cernam, in summitate montium & Libanon, fructus ejus: Moveatur,  $\Psi\Upsilon\Upsilon$ , dicit Glossa Marg. i. e. Mons Libanon obsitus est densis arboribus præaltis. Talis erit densitas, & motio Evangelii in civitatibus, i. e. Evangelium, & credentes in Christum, crescent, & augebuntur largissime, R. Jonath.  $\Psi\Upsilon\Upsilon$  exponit crescet (fructificabit) & multiplicabitur fructus ejus, i. e., Filii ejus, idem, multiplicabuntur Filii ejus, sicut multiplicabuntur arbores Libani. R. Abraham, Tremet, sicut Libanon, i. e. Arbores Libanon fructus ejus, frumentum ejus: quia erit magnum, & spica magna, & pingves, quæ vento flante commovebuntur, scribit R. David in Comm. Alienum v. dicitur, quod hic refert Kimchi, quosdam exponere, quasi transpositum  $\Psi\Upsilon\Upsilon$ , ditescet. Ex his patet, quod hic locus suo modo respiciat, quoad sensum translātū, ad commotionem gratiæ, quoad sensum immediatum, ad commotionem naturæ, quæ tum in arboribus, tum in frugibus, & aliis naturalibus vegetantibus, veram & miram præstat utilitatem & fertilitatem. Et hoc potissimum in Universali commotione respicimus.

24. Nam in Universali Creaturum Motione, quæ Deo, ceu primo Motori, competit, observare licet, (1) Motionem Essentiarum, tum quia Deus omnium rerum Motor, tum quia movet essentias ad indefi-

nē-

DE GUBERNATIONIS DIVINÆ MOTIONE,

mentem dependentiam, tū quia movet eadē ad *res* esse continuati-  
onē. &c. (2) *Motionem proprietatū*, quia quælibet creatura suas habet  
*qualitates, proprietates, facultates, s. virtutes*, quas nisi Deus moveret,  
per se moveri non possent. (3) *Motionem energiarum, vel operationū,*  
*aut activitatum*, dum *activitates* has creaturarum ad *objecta* sua nō  
stantum, sed ad *actus* etiā, & *effectus* dirigit. (4) *Motionem finium*, dū  
moveret *actus* ad *finis* suos, *glorie divinæ*, vel etiam *operationi, & colli-*  
*mationi creaturae cujuslibet* convenientes. (5) *Motionem ad Eventus*  
*omnes ac singulos*, quia nō est in potestate creaturae suos *actus* ad *eventus*  
accommodare, sed hoc est solius divinæ libertatis, potestatis, & majestatis,  
adeoq; soli divinæ Motioni, vel causali, vel judiciali dicitur id tribuendum.

26. Tandem paucis ad Causam Finalem respicimus, quæ non est eaq̄dem  
distinctis verbis in textu proposita, dextre tamen insinuat. Est autem alia  
respectu Dei, nim. Gloria Dei, quam ostendit. (1) Gloriosum Dei Nomen, Jeho-  
va Elohim, Jehova Exercituum, &c. (2) Gloriosum Pronomen, *ŪN*. (3) Glo-  
riosum operis specimen, quod in mera, vereq; gloriosa consistit motione, vel  
commotione. (4) Gloriosum Objectorum flumen, quod ordine glorioso fluit,  
quia Deus commovere dicitur totum cœlum, totam terram, totum mare, totam  
tam aridam, quæ singula gloriosa sunt.

27. Alius respectu Rei, nim. tum Regnū potentiz, quia Deus suas, & quidem  
omnes movet creaturas, ut Regnum potentiz in omnibus sit perfectum: tum  
Regni gratiz, cum Regnum potentiz conservetur, propter Regnum gratiz,  
siquidem cum regno gratiz mox in die novissimo Regnum potentiz cessatu-  
rum, quia Christus Regnum gratiz Patri tradet, & mundus totus consumma-  
bitur: tum Regnum gloriæ, quod Christus etiam suo modo commovebit, sicut  
Heb. XII. 26. nostrum Oraculum explicatur.

28. Expositis Causis, breviter Eminentiam Divinæ Motionis in O-  
raculo nostro, quoad Proprietates, scrutabimur, has autem non explicare, vel  
juxta textum illustrare, sed tantum allegare possumus. Est autem Di-  
vina Motio, juxta præsens Oraculum (1) Vera Motio, dum in Veritate  
divina, vel assertione, seu revelatione divina fundatur. (2) Activa Motio,  
seu Causalis, quia Deus inquit, Commovebo. (3) Divina, dum tribuitur Jeho-  
væ, Jehovæ Zebaoth &c. (4) Immediata Motio, quia Jehova dicit, EGO Com-  
movebo, non alius commovebit. (5) Totalis, quia non partem cœli, terræ &c.  
sed totum Cœlum, totam terram, &c. commovere dicitur. (6) Universalis, quia  
Cœlum, terram, Mare, Aridam, & omnes Gentes commovere perhibetur. (7)  
Infinita, quia *res* Commovebo, tanquam unus *actus* ad omnes creaturas exten-  
ditur, & infinitos modos, dum creatura quælibet proprio sibi modo commo-  
venda, sub ambitu suo complectitur. (8) Mirabilis, quia nullus intellectus cre-  
atus hunc infinitum divinæ commotionis *actus*, vel planius concipere, vel  
plenius exponere potest. Hic valet illud: Mirari, non rimari sapientia vera. (9)  
Jucunda, quia, nobis etiam quiescentibus, Deus nostri causa movet omnia.  
10. Utilissima, quia Deus non in tuam, sed in nostram utilitatem, atq; salutem,  
omnia commovere perhibetur.

85852

ULB Halle  
005 363 56X


3



VD 77







B.I.G.

Farbkarte #13



14

ERNATIO.

DIVINÆ

IONEM,

HAGG. II. 7.

claratam

ÆSIDE

o Incomparabili

o EVERGETA,

MINO

ANNE

CSQWQW/

THEOLOGO

SORE PUBLICO,

A. R. S. clb lbc XXCIX.

P. P.

ES Dünnehaupt/

C. & Alumn. Electoralis.



ENBERGÆ,

ANNIS WILCKU.

